

tabant ad hæc inter se cives non luxu & voluptate, sed continentia & virtute: non divitiæ, & quæ modo homines mirantur, discrimen ullum honoris in civitate faciebant, sed pietas & innocentia: non hominis purpura spectabatur, sed probitas: tunc non affectati, sed ultro oblati sequebantur honores; dices ociose philosophantium illum fuisse cœtum, non profugorum civium. Et ne quis nos hæc ad rem ornandam finxisse putet, audiat, si vacat, quæ Cassiodorus Ravennas de antiquo civitatis statu scripsiterit. *Paupertas*, inquit, *ibi cum divitibus sub æqualitate vivit: unus omnes reficit cibus: habitatio similis omnia concludit: nesciunt de penatibus invidere: & sub bac degentes mensura vicium fugiunt, cui mundus obnoxius est.* mitto reliqua, quæ ille longiore prosequitur epistola, quam Bonitendius suis commentariis inseruit. His auspiciis nata est Veneta civitas, per hos mores, per hæc studia angustam traduxit infantiam, his demum virtutibus adolevit & coaluit.

Et quia, ut reor, abunde constat quæ fuerint tanti Imperii initia, de prima ejus administratione pauca referam. Nam in hoc quoque eos, qui de rebus Venetis commentarios quosdam scriptos reliquere, variare video: horum quidam tradidere, consulari potestate cœptam esse rem publicam administrari ab his qui Rivumaltum tenuere: scribunt que Galienum Fontanam, Simonem Glauconium, & Antonium Calvum, qui per id tempus Patavii Consules erant, quum circa Rivumaltum fundari nova urbs cœpisset, consulari potestate primos omnium nascenti illi præfuisse. Fuerunt qui crederent, his auctoribus ortam esse a Patavinis fugam, atque in hæc loca primo migratum, ædificarique cœptum. Apud quosdam pro his Albertum Phalerium, Thomam Candianum, & Daulum Comitem reperio. Tertio ab urbe condita anno novi Consules in biennium creati, Marinus Linius, Hugo Fuscus, & Lucianus Graulus. Quidam hos quoque Patavio consulari potestate in Rivumaltum misso affirmant: ex quo aperte intelligi potest, originem urbis Athilæ adventum omnino præcessisse. Consules in tertium biennium creati, Marcus Aurelius, Andreas Clodius, &

*Forma re-
giminis.*

*I. per Con-
sules.*

424